

DISPUTATIO JURIDICA
De
FRUCTIBUS,

Quam
D. T. O. M. A.
PRÆSIDE

Amplissimo, Consultissimo, & Excellentissimo Viro
Dn. CONRADO CARPZOVIO J.U.D.,
Profess. Publ. Curiã Provinc. Consistorii Ecclesia-
stici, Facultatis Juridicæ, Wittebergæ; & Electoralis, per
inferiorem Lusatiam, judicii, Assessore, Præ-
ceptore atq; Fautore suo colendissimo.

In
Electoralis ad Albim Academia

Publica censura subicit

PHILIPPUS Scherer / Neustad. ad
Ericas Francus.

In Collegio Electorum

Ad diem 1. Julii horis consuetis.

WITTEBERGÆ

Typis AUERBACHIANIS.

ANNO M DC XXIX.

Cista 19. No 3.

*Illustrissimi & Celsissimi Principis ac
Domini*

Dn. JOHANNIS CASIMIRI, Du-
cis Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium &c.

Dn. mei clementissimi, Consiliariis
intimis, gravissimis,

Viris Magnificis atque Amplissimis

Dn. ERNESTO FOMANNO J.C. celeberrimo,
Cancellario eminentissimo,

Dn. JOHANNI BECHSTADIO J. U. D. Con-
sultissimo, Consistorii Ecclesiastici Assessori
dignissimo,

Dn. STEPHANO CORNARIO P. C. Camerae
Secretario meritissimo,

Dn. JOHANNI LATTERMANNO Ducalis Ae-
rarii Antistiti supremo,

NEC NON

Clarissimo, Consultissimo & Excellentissimo Viro

Dn. JOHANNI CHRISTIANO Scherer J. U. D.
Scabinatus Coburgensis Assessori, ibidemq; Ad-
vocato primario.

*Dnm. Patronis, Affinibus, Promotoribus &
Agnato aeternum honorandis.*

Theses haec juridicas

Ingrati animi symbolum

In observantiae indicium, &

Studiorum Academicorum tes-

timonium.

Consecrando inscribo

me meamq; salutem commendo

atque committo.

Philippus Scherer Auth. & Respondens.



Fructuum materia quam sit difficilis, quamq̄ frequens & necessaria, utpote de qua hodie gravissima exoriuntur controversie inter Principes, Nobiles & Civitates, quotidiana experientia rerum Magistra testatur. Non immemor igitur illius, quod in l. 25. ff. de liber. leg. junct. l. 1. in pr. ff. de susp. tut. dicitur: Ea, qua necessaria & utilia, inque foro & judicio frequentissima, propter sui ipsius commendationem non negligenda, sed sepius attingenda & diligentius tractanda; nobilissimam hanc fructuum materiam non quidem pro ejusdem dignitate, sed ingenii tenuitate conscribere, & conscriptam ventilationi publicæ, implorato prius divino auxilio, subjicere animus est.

THESIS I.

Fructus (a) latè sunt omnes utilitates, quæ ex ipso rei corpore, vel occasione ejusproveniunt. (b)

(a) Dicti à fruendo. Isidor. lib. 17. etymolog. cap. 3. & 6. Varro de lingv. latin. lib. 4. Rittershus. ad §. si quis à non domino 26. Inst. de R.D. Gædd. ad l. frugem. 77. de V. S. n. 1.

(b) L. in fructu 42. de usufr. leg. l. item si fundi 9. l. arbores. 59. §. quicquid in fundo 1. ff. de usufr. Duaren. ad tit. ff. de nautic. fœnor. Magis propriè sumuntur pro omni accessione & utilitate, quæ ex



re aliqua, ad ejusmodi emolumentum parata percipitur, l. arboribus 12. §. navis 1. ff. de usufr. & l. fructus 7. §. si vir 13. ff. solut. matr. Magnific. Dn. D. Foman. Diss. Inst. 9. th. 22. lit. b. Donell. lib. 4. com. jur. civ. c. 23. ibiq; Hilliger. lit. B. Partus igitur ancillæ fructus non est, quia absurdum visum fuit, hominem in fructu esse, cujus gratia omnes fructus natura produxit, §. in pecudum 38. Inst. de R. D. l. vetus 68. ff. de usufr. l. mulier. 22. §. sed enim 3. ff. ad SC. Trebell. l. in pecudum 28. §. partus 1. ff. de usufr. & fruct. l. ancillarum 27. de hered. petit. & ancillarum fructus, non partus, sed operæ d. l. ancillarum 27. & l. in hominis 3. cum l. seq. ff. de oper. servor. Giphon. ad d. §. in pecudum 38. Treutl. vol. 1. Diss. 15. thes. 10. lit. A. Hænon. Diss. ad w. 10. th. 14. lit. B. Lindeman. exerc. just. D. 2. th. 68. uti nec arbores non cæduæ, id est ferendis fructibus umbraculi præstandi causa, aut aliis usibus paratæ l. ex sylva 10. cum l. seq. ff. de usufr. Donell. d. loc. Duaren. ad tit. solut. matr. nec venatio, nisi fructus fundi ex venatione potissimum constet, l. venationem 26. ff. de usufr. & fr. si enim alia major est fundi utilitas, quàm venatio, feræ bestię non jure civili ut fructus, sed jure gentium primo occupanti acquiruntur l. usufructu 62. ff. de usufr. Cop. tr. de fruct. lib. 1. tit. 1. cap. 1. cum solo bestię non cohæreant, ideoque potius in aëre vivere ac illo contineri, quàm certâ aliquâ soli parte sunt æstimandæ, Wesenb. in parat. ff. de A. R. D. n. 7.

II.

Et sunt in genere vel civiles, (a) vel naturales: (b)

(a) Qui non ex ipso rei corpore proveniunt, sed occasione rei percipiuntur: cujusmodi sunt usuræ, pensiones, mercedès &c. l. usuræ 34. ff. de usufr. & fructib. l. quod his 83. ff. de legat. 3. quæ tamen magis vicem fructuum sustinent, quàm absolutè & exactè fructus vocentur d. l. usuræ 34. l. quamvis usuræ 3. C. eod. l. si navis 62. ff. de R. V. & l. usura 121. de V. S. Gædd. ad l. frugem. 77. n. 2. & d. l. usura 121. de V. S. n. 3. Vultei. lib. discept. unic. cap. ult. Præcellentissimus Dn. Ludv. LL. Candidatus, amicus & Fautor meus colendus Diss. Inst. 4. th. 6. lit. F. Hænon. Diss. ad w. 10. th. 14. lit. D.

(b) Qui ex ipso rei corpore nascuntur: liq; vel naturales in specie, vel industriales, arg. §. si quis à non domino 36. Inst. de R. D. l. fructus

267

l. fructus 45. ff. de usur. quorum illi à sola natura proveniunt; ho-
minis opera parùm vel omninò non cooperante: ut sunt, po-
ma, pyra, fœnum, lac, lana, fœtus ovium, & cæterorum ani-
maliùm, arg. l. si filius pen. §. at si quis. ult. ff. de pecul. & l. deniq; 8. §.
utrum autem. ult. ff. de pecul. leg. Mynsing. ad d. §. si quis à non domino
36. Inst. d. t. hi verò, qui cooperante quidem natura, sed non abs-
que industria humana & factò hominis notabili accedente ob-
veniunt, ut sunt segetes, & fruges. Dn. Ludvelli. d. loc. Vvesembec.
ad d. §. si quis à non domino 36. Inst. d. t. Ilico Vimm. Diss. ad process. 21. th.
4. Gilken. cap. 6. de fructib. Vultei. lib. un. discept. c. ult. & lib. 1. Jurispr.
Rom. cap. 64.

III.

Tàm verò hi, quàm illi sunt duplices: pendentes,
(a) vel separati. (b)

(a) Qui jam nati quidem & formati sunt, sed nondum
collecti, terrâ adhuc continentur eique cohærent *l. fructus 44. ff.*
de R. V. l. si pendentes 27. ff. de usufr. l. arboribus evulsis 12. §. si fur. 5. d.
tit. Cop. tr. de fructib. lib. 1. tit. 3. cap. 6. cujusmodi fructus aliàs et-
jam stantes nominantur, l. si apes 26. §. item constat. 1. ff. de furt. l.
fructus 7. §. interdum 15. ff. solut. matrim. Dissentit Accurs. in l. si
pendentes 27. de usufr. qui differentiam constituit inter fructus
stantes & pendentes. Pendentes eos tantum appellat, qui su-
spensi ramis arborum hærent, ut poma; stantes verò qui recti
sunt, ut segetes. Sed verius est, stantes & pendentes eosdem
esse, quod ex d. l. fructus 7. §. interdum. 15. satis colligitur. Et sunt
maturi vel non maturi, §. us verò 37. Inst. de R. D. l. Julianus 13. §. si
fructibus 10. ff. de action. emt.

(b) Fit autem separatio cum corpori fructus cohære de-
finunt. Quod accidit vel solâ naturâ, vel factò hominis. Na-
turâ separantur cum sine hominis factò fructus decidunt, aut
fœtus animalium eduntur, *l. si fructuarius 13. ff. quibus mod. usufr. a-*
mittit. Factum verò hominis concernitur in cædendo, excu-
tiendo, eximendo, decerpando, defecando, d. l. si fructuarius 13.
l. si apes 26. §. item constat 1. de furt. l. sequitur 4. §. lana 19. de usucap. l.

A 3

arbori-



arboribus 12. §. Julianus ult. ff. de usufr. Amplissimus Dn. D. Vngepaur
Præceptor, Affinis, & olim Hospes meus perpetuâ animi veneratione di-
gnissimus, in prælect. compend. ad Donell.

IV.

Deinde sunt vel percepti, (a) vel percipiendi. (b)
Et rursus perceptorum alii consumpti, (c) alii
adhuc extantes. (d)

(a) Perceptio est duplex: alia perfecta, alia imperfecta.
Illa dicitur cum fructus perfectè collecti, & in horreo recon-
diti sunt, frumentum tritum, vindemia coacta, & oleum etiam
factum, l. si fructuarius 13. ff. quib. mod. usufr. amitt. Hæc verò quan-
do fructus cœpti sunt ita percipi, ut terra se continere desierint
licet adhuc humi vel sub dio jaceant, necdum in horreo vel
cella reconditi sint, veluti si spica cæsa, nondum tamen trita, u-
va adempta, nondum expressa, olivæ collectæ nondum autem
oleum factum, d. l. si fructuarius 13. l. si ejus 78. de R. V. Cop. tr. de fru-
ctib. lib. 1. tit. 3. c. 8. Vultei. lib. 1. I. R. cap. 64. Hæc cum nihil aliud
sit quàm separatio, meritò cum ea confunditur in d. l. si ejus 78.
ff. de R. V. Ampliss. Dn. D. Vngepaur. d. l.

(b) Qui in duplici sunt differentia: vel enim percepti aut
acquisiti non sunt, honestè tamen percipi potuerunt l. fructus 33.
ff. de R. V. l. cum servus 39. §. fructus. 1. ff. de leg. 1. vel futuri sunt, l. in-
terdum 73. in pr. ff. de V. O. Add. Vultei. lib. 1. I. R. cap. 64. Hæc in. Disp.
ad w. 10. th. 14. lit. K. Cop. tr. de fruct. lib. 1. tit. 3. c. 10. & 11.

(c) Dicitur autem consumptio facta, cum de fructibus qui
extabant, nihil amplius in patrimonii corpore retinetur, l. pater
23. ff. de adim. vel transfer. legat. l. idem 72. de leg. 2. l. si ve hereditaria 22.
ff. de negot. gest. & l. videamus 17. ff. quod met. caus.

(d) Extantes sunt, qui integri adhuc in horreis asservan-
tur, Cop. d. tr. de fr. lib. 2. tit. 3. cap. 8. & in bonis domini vel
possessoris rep:riuntur, Vvesembec. ad §. si quis à non domino 36. Inst.
de R. D. n. 8.

V. Huc

202

V.

Huc usq; quid fructus diximus, deinde quam multiplex & varia esset fructuum divisio exposuimus, eorumq; species ordine definivimus. Nunc qui fructus suos faciant, discutiendum nobis erit.

VI.

Fructuum autem acquisitio varia est: aut enim eos nostros facimus jure domini, (a) aut jure servitutis. (b)

(a) Eum, qui plenum dominium habet alicujus rei, fructus inde natos indistincte suos facere, naturalis ratio ipsa satis nos docet; Quis enim ignorat, ea, quae ex rebus nostris nascuntur & proveniunt naturali jure nostra statim fieri, *l. acquiruntur 10. §. de his 3. ff. de A. R. D. l. Idem Pomponius 5. §. idem 2. ff. de R. V. l. de eo 12. §. si quis ex vivis 3. ff. ad exhibend.* maxime cum omnis fructus jure domini soli percipiatur, *l. qui scit 25. ff. de usur. & fruct.*

(b) Ut usufructuarius. Cum enim pro domino habeatur, *l. usufructus 4. ff. de usufr. l. in venditionem 8. ff. de reb. auctor. jud. possid.* quicquid in fundo, in quo usum fructum habet, nascitur vel inde percipi potest, ad ipsum pertinet, *l. usufructu 7. l. Item si 9. ff. de usufr.* Quod tamen procedit, si ipse fructus perceperit, vel alius ejus nomine, hoc est, si vivente usufructuario ejus a solo nomine fuerint separati, *§. v. verò 37. Inst. de R. D. l. si fructuarius 13. in pr. quib. mod. usufr. amitt. Schneidevvin. ad d. §. v. verò 37. Inst. d. tit.* Ratio est, quia non ex jure aliquo domini, vel alio, quod acquisitionem fructuum operetur, fructus acquirit, sed perceptione. Deinde quonia usufructus, est jus servitutis, quod non sola domini patientis voluntate constituitur, sed necessario requiritur, ut insuper factum usufructuarii utentis & fructus apprehendentis accedat, *l. sicut 3. ff. de usufr. l. non statim 8. ff. de pecul. l. arboribus 12. §. usufructuarius 2. cum seq. d. tit. de usufr. Hartm. Pistor. quest. 24.*



quest. 24. n. 28. Hinc, si usufructuarius maturis fructibus, non-
 dum tamen perceptis decedat, illos non ad heredes, sed ad do-
 minum proprietatis transmittit, *d. §. is 37. §. finitur. 3. Inst. de usufr.*
d. l. arboribus 12. §. Julianus 5. ff. eod. tit. De jure verò Saxonico,
 was die Egede bestrichen hat / daß folget den Erben des Früchze-
 nteffers / *Landr. lib. 2. art. 58. & lib. 3. artic. 76. Reinh. lib. 2. part. 6.*
differ. 11. pag. 512. Magnific. Dn. D. Foman. Diss. Inst. 9. th. 21. lit. D.
 Diversa itaque ratio est quoad acquisitionem b. f. possessoris, &
 usufructuarii, cum b. f. possessor in percipiendis fructibus plus
 juris habeat, *l. qui scit 25. §. in alieno. 1. ff. de usur. & fructib. & fru-*
ctus à quocunque fuerint à solo separati lucretur, l. si fructuarius
13. in fin. ff. quib. mod. usufr. amitt. d. l. qui scit. 25. §. in alieno 1. vers.
præterea. de usur. & fructib. Duaren. ad tit. de nautic. fœnor. Colonus
 verò in quibusdam similis est usufructuario, in quibusdam b. f.
 possessori, & in quibusdam utrique. Usufructuario in eo, quod
 fructus perceptos faciat suos irrevocabiliter, *Rittershus. ad d. §.*
is verò 37. Inst. de R. D. Bonæ fidei verò possessori similis est, quod
 æquè jus suum quod in prædio habet, ad heredes transmittat,
 si fortè intra tempus locationis decedat *l. viam 10. C. de locat. &*
cond. §. ult. Inst. de loc. cond. Utrique similis est, quod ut ille, ita
 & iste fructus sibi acquirit, *arg. l. si. servus 61. §. locavi 8. ff. de furt.*
S. hneideyvin. ad §. is verò 37. n. 6. Inst. de R. D. Emphyteutæ quoq;
 melior est causa & conditio, quàm usufructuarii, nam & hic fru-
 ctus suos facit, simul atque à solo separati sunt *l. qui scit 25. §. in*
alieno 1. in fin. ff. de usur. & fr. non enim ratione perceptionis, ut
 fructuarius, sed propter jus, quod in re habet fructus consequi-
 tur, *Hartman. Pistor. quest. 24. n. 32. & jus suum ad heredes trans-*
mittit, §. adeò 3. Inst. de locat. cond. quod in fructuario secus se
 habet.

VII.

Aut jure possessionis fundatæ in bona fide, (a) aut
 facto ipso. (b)

(a) Qualis ex b. f. possessor. Is autem dicitur primò, qui
 rem ex qua fructus proveniunt, accepit ex justa causa, *§. si quis*
36. Inst.



36. *Inst. de R. D.* aliter enim non potest existimare, rem in se transferri, cum nulla iustâ caussa præcedente, dominium nec traditione transferatur *l. nunquam 31. de A. R. D.* secundò, à non domino, quia qui accepit à domino, verus fit dominus §. *ex diverso 31. Inst. de R. D.* Tertiò, qui putavit eum, à quo rem accepit, jus transferendi habuisse *l. qui à quolibet 27. ff. de contrah. emt. l. bone fidei 109. de V. S. l. quæcumq; 13. in fin. de public. in rem. act. add. Dozell. lib. 4. com. jur. civ. cap. 24. Vultej. lib. discept. un. cap. ult. § lib. 1. jurispr. Rom. c. 67.* Bonæ fidei igitur possessor omnes omninò fructus suos facit, sive naturales, sive industriales sint *l. qui scit 25. §. in alieno 1. §. l. in pecudum 28. ff. de usur. l. si ejus fundi 78. ff. de R. V. l. bone fidei 48. ff. de A. R. D.* Si modò sint consumti, quia consumtio demum est, quæ plenè & cum effectu facit, ut fructus sint h. f. possessoris, nec ab eo avocari possint, §. *si quis à non domino 36. in verb. consumtis, Inst. de R. D. l. sequitur 4. §. fructus 5. §. §. lana 19. ff. de usurpat. §. usucap. Vultej. lib. discept. unic. cap. ult. Magnific. Dn. D. Arumaus exerc. Just. 4. th. 19. Pinellin l. 2. C. de rescind. vendit. part. 2. cap. 4. n. 5 4. §. seqq. Excellentiss. Dn. D. Riemer. decad. 4. q. 4. Govean. 2. par. lect. 15. Nicol. Cisner. ad d. l. sequitur 4. §. fructus 5. §. §. lana 19. ff. de usurp. §. usucap. Paul. Berens disp. 3. th. 2. Charond. 1. verisim. 7. Bronch. cent. 3. aff. 78. Anton. Fab. lib. 4. conj. 17. Elias Rober. disp. 7. th. 7. Rittersbus. ad §. si quis à non domino 36. Inst. de R. D. Philipp. Matth. ad l. bona fides 136. ff. de R. 7 n. 5.*

(b) h. e. malâ fide, ut possessor m. f. Hic enim è contra nullos omninò fructus sibi acquirit *l. fructus 33. ff. de R. V. l. qui scit 25. pr. ff. de usur. §. fruct.* sed omnes restituere tenetur *l. certum est 22. C. de R. V.* etiam quos percipere potuit *l. sed §. si 25. §. sed §. 4. ff. de hered. petit. l. ait prætor 10. §. §. fructus 20. ff. quæ in fraud. credit. §. et si in rem Inst. de offic. judic.* cum interpretatione juris fructus, quos etiam non percepit, percepisse videatur, *Vultei. d. cap. ult. Rittersbus. ad §. si quis 36. Inst. de R. D. Rober. disp. 7. th. 10.* idque ideò, ut delictis occurratur, & ne commodum cum alterius detrimento, & quasi malitiæ præmium, sed pœnam potiùs improbus possessor ferat, *l. domum 5. C. de R. V. l. si navis 62. §. generaliter 1. ff. eod.* Sed de restitutione fructuum statim pluribus.

B 8. Et



IIIX.

Et sic etiam de Fructuum acquisitione: Restat In-
stitutio.

IX.

In restitutione autem fructuum, utrum bonæ fidei
possessor aliquis sit, an malæ, iterum diligen-
ter attendendum erit. (a)

(a) ita Dd. communiter ad § *si quis à non domino* 36. Inst. de R.
D. & aliis multis locis distinguunt.

X.

Bonæ fidei enim possessor tenetur ad fru-
ctus extantes ante litem contestatam perce-
ptos: (a) post litem verò contestatam, quia
tunc in malâ fide constitutus esse incipit, om-
nes quos percepit, imò & illos, quos hone-
stè percipere potuisset, domino restituere co-
gitur. (b)

(a) Cujuscunq; sint generis, sive naturales, sive industriales,
licetum est 22. C. de R. V. §. *si quis à non domino* 36. Inst. de R. D. §. *et si*
2. cum seq. Inst. de offic. jud. l. *sed &* 4. §. *post litem* 2 ff. *fin. regund.*
Mulrei. l. discept. unic. c. ult. Berens. D. 3. th. 2. q. 6. Rober. Disp. 7. th. 8.
Riemer. dec. 4. q. 4. adde Bachov. ad d. §. si quis 36. Inst. de R. D. Imò
etiam nonnunquam de consumtis, si nimirum ex lis factus sit
locupletior b. f. possessorem teneri æquius est, l. *sed & si* 25. §.
consuluit. 11. ff. & l. scutum 1. §. usura 1. C. de hered. petit. arg. l. idem
72. de legat. 2. l. pater 23. ff. de adim. vel transfer. leg. l. idem est 3. ff. de
condict. indēbit. ne possessor contra naturalem æquitatem locu-
pletetur cum damno & jactura alterius, Amplif. Dn. D. Ungep.
exerc. Justin. §. q. 12. in Ajo. Treutler. vol. 7. Disp. 15. th. 11. lit. G. & vol.
2. Disp. 20. th. 5. lit. K. Covarruv. 1. var. resol. c. 3. n. 6. Cifner. in com. de
usucap. Cop. tr. de fruct. lib. 2. tit. 4. c. 7. Anton. Fab. lib. 4. conj. 17. M.
Lyck à Nieh. 1. 3. membran. Eclog. 2. Contraria tamen sententia usu-
forensi recepta est, quam amplectuntur Pinell. ad l. 2. part. 2. c. 4.

de re-

de rescind. vendit. Fachin. lib. 1. controu. jur. 58. Cyn. in l. non est 9. C. famil. ercisc. Jmola in l. sequitur 4. §. 1. de usucap. Ilico Vmm. Disp. ad process. 21. th. 3. Donell. de fructib. c. 4.

(b) d. l. certum est 22 C. de R. V. l. sed & si 25. §. Si ante litem 7. ff. de heredit. petit. §. etsi in rem. 2. Inst. de offic. judic. l. litigator 2. C. de fructib. & lit. expens. l. nemo ambigit 10. C. de acquir. & retin. poss. Vultei. d. lib. unic. disceptat. c. ult. Cop. de fructib. lib. 2. tit. 2. c. 4. Schnei- de W. ad §. si quis à non domino 36. Inst. de R. D. num. 5.

XI.

Malæ fidei possessor verò nullos fructus sibi acquirit

(a) sed de omnibus indistinctè tenetur. (b)

(a) L. 33. ff. de R. V. l. qui scit 25. pr. ff. de usuris, & fruct.

(b) l. Fructus 44. ff. de R. V. l. si pignore 22. §. Si prado 2. ff. de pi- gnor. act. l. certum est 22. C. de R. V. l. fundum 17. C. eod. etiam percipiē- dis, l. quod in libellum 1. in fin. C. de fid. & jur. bast. §. etsi in rem. 2. Inst. de offic. judic. l. litigator. 2. C. de fruct. & lit. expens. l. sed & si 25. §. sed & 4. ff. & l. SCtum. 1. §. usuras 1. C. de heredit. petit. l. ait pretor 10. §. & fructus 20. ff. qua in fraud. credit. Ampliſſ. Dn. Utgep. exere. Iustinian. 5. q. 11. in Aio. Riemer. dec. 4. q. 4. ita etiam ut in fructibus æstimandis, non quos possessor, sed quos petitor per- cipere potuisset, attendatur, l. si navis 62. §. generaliter 1. de R. V. l. si de possessione 4. C. unde vi. Treutler. vol. 1. Disp. 15. th. 11. lit. C. Phi- lip. Matth. ad l. generaliter 78. n. 9. ff. de R. J. Henon. Disp. Inst. 4. th. 20. Decius ad d. l. generaliter 78. d. tit. Surd. decis. 94. n. 29. Gilk. ad l. certum 22. c. 9. C. de R. V. Bronch. cent. 2. evav]. aß. 87. Nec inter- est titulum habeat m. f. possessor, an non, §. etsi 2. Inst. de offic. ju- dic. d. l. certum est 22. C. de R. V. l. SCtum. 1. C. de heredit. petit. qui textus generaliter & indistinctè loquuntur, Henon. d. th. 20. ma- ximè etiam cum titulus malam fidem possessoris mutare, nec injuriam petitori factam tollere possit, Obrecht. Disp. de R. V. th. 372. Donell. lib. 20. comm. c. 5. Treutler. vol. 1. Disp. 15. th. 11. lit. c. Ha- ckeln. quæst. jllustr. Disp. 6. th. 19. Vult. lib. discep. unic. c. ult. Cop. tr. de fruct. lib. 2. tit. 4. c. 2. Magnificus Dn. D. Foman. Disp. Inst. 9. th. 20. lit. a. Idem dicimus de eo, qui ab initio quidem bonæ fidei

B 2 posses-



possessor fuit, sed postea scientia rei alienæ supervenit, l. qui bo-
na fide 23. §. tamdiu 1. l. quæsitum est 40. & l. bonæ fidei 48. §. in
contrarium 1. ff. de A. R. D. l. sed & §. 25. §. de eo 5. ff. de hered. petie.
l. Item veniunt 20. §. petitam 11. ff. eod. Donell. 4. com. 24. Trentler.
vol. 2. Disput. 29. th. 5. lit. 7. Cujac. ad African in d. l. quæsitum est 40.
Gædd. ad l. bonæ fidei 109. de V. S. n. 12. Fachin. v. contro. 59. Co-
pus tr. de fruct. lib. 2. tit. 4. cap. 5. Menoch. 15. remed. recup. poss.
n. 612.

XII.

Cum autem deductis demum impensis fructus intel-
ligantur (a) & id quod in fructus redigendos
impensum ipsos fructus deminuere certum sit.
(b) paucis nunc videndum, quasmam impen-
sas tum bonæ, tum malæ fidei possessor evicta
re deducant.

(a) L. si à domino 36. §. fructus ult. ff. de hered. petie. l. fructus 4.
ff. de oper. servor. uti nec bona nisi deducto ære alieno l. subse-
gnatum 39. ff. de V. S. Molin. consuet. Paris. tit. 1. gl. 8. n. 13. & seqq.
Cop. tr. de fructib. lib. 1. tit. 11. c. 6. Duaren. ad tit. ff. de nautic. fœnor.
Hartman. Pistor. q. 46. n. 36. Rittershus. ad §. Si quis à non domino
36. Inst. de R. D.

(b) L. quod in fructus 46. ff. de usur. & fruct.

XIII.

Impensas (a) bonæ fidei possessor omnes exceptio-
ne doli deducit. (b)

(a) Impensæ, quæ nihil aliud sunt, quàm sumtus in rem alie-
nam facti, vel necessariæ sunt, quæ si factæ non essent, res aut
peritura, aut deterior futura fuisset, l. impensa 79. de V. S. l. im-
pensarum 1. §. necessaria 1. ff. de impens. in reb. dotal. fact. vel utiles,
quæ meliorem rem efficiunt, & fructus augent, d. l. impensa 79.
d. tit. l. quod dicitur 5. §. utiles ult. d. t. de impens. in reb. dot. fact. vel
voluptuariæ, quæ ad voluptatem tantùm faciunt, & rei speciem
exornant, l. voluptuariæ 7. d. tit. de impens. in reb. d. l. 79. §. 2. Ulpian.
in

in fragm. tit. de dotib 7. §. impensarum 11. & seqq. Schneidew. ad tit. Inst. de Action. §. item se de dote 37. n. 13. & seqq. Gædd. ad d. l. impensa, 79. n. 1.

(b) Tam necessarias, quam utiles & voluptuarias, l. plane 38. l. utiles 39. §. videamus 1. de hered. petit. Idq; regulariter verum est: nam quibusdam casibus jus tantum auferendi locum habet, l. in fundo 38. ff. de R. V. l. utilium 8. ff. de impens. in reb. dotal. fact. Amplissimas Dn. D. Ungepaur exerc. justin. 6. q. 2. Hanon. Diss. Inst. 4. th. 13. & seqq. Job. Garstas in tract. de expens. & meliorat. c. 1. n. 25. & 32. Anton. Fab. 2. conj. 1. Hic quaeritur, si non deductis forte impensis res domino restituta fuerit, atq; ita rei possessio amissa, an pro consequendis sumptibus & impensis illis bonæ fidei possessor aliquam actionem habet? Et dicimus illas impensas non aliter nisi doli exceptione servare posse, l. quo lucidius 1. ff. de dol. mal. & met. except. junct. l. 14. ff. de condict. indebit. quæ officio judicis effectum consequitur, l. sumtus 48. ff. de R. V. nunquam verò actione aliqua consequi potest, cum hoc in casu nulla competat, l. in hoc judicium 14. §. impendia autem 1. ff. commun. divid. l. Paulus 14. ff. de doli mal. & met. except. l. si in area 33. ff. de condict. indebit. Nisi forte quis non suo, sed alieno nomine eas fecerit: hoc enim in casu, utilem negotiorum gestorum actionem contra dominum habet, l. si pupilli 6. §. sed si ego 6. ff. de negot. gest. Ampliss. Dn. D. Ungepaur exerc. Just. 6. q. 1. Donell. lib. 20. comm. jur. civil. cap. 7. ibiq; Hilliger. lib. K. Giphon. ad l. si autem 27. §. in rem 5. ff. de R. V. Re autem in quam impensæ factæ sunt perempta, neque bonæ neque malæ fidei possessor quicquid earum nomine consequi potest, cum nullum juris remedium, quo illæ peti possint, super sit, Donell d. lib. 20. comm. c. 7.

XIV.

Malæ fidei possessor verò necessarias officio judicis consequitur, (a) utiles autem & voluptuarias duntaxat auferre & tollere potest (b).

(a) l. (b) l.

bo.
n.
tie.
ler.
40.
Co-
of.
el-
los
fit.
en-
cta
s 4.
bfe-
qq.
ox.
ino
ie-
aut
im-
les,
79.
vel
em
an.



(a) *l. domum §. C. de Rei vindic. l. si à domino 36. §. fructus §. l. planè 38. ff. de hered. petit. & quidem hæc eò magis, quod necessitate coactus fuerit, l. item 15. §. si quis rem 1. ff. de R.V. cum in culpa esset, si has non fecisset l. qui petitorio 36. §. qui in rem 1. ff. d. tit. Bronch. cent. 3. ass. 17. & cent. 2. ass. 26. Fachin. 1. contr. 45. Donnell. 20. com. 7. Gædd. ad l. impensa 79. num. 5. de V. S. Gilken. in tr. de impens. part. 2. cap. 7. Treutl. vol. 2. disp. 20. th. 6. lit. b. Idem dicimus de prædone, nam & hic necessarias impensas consequitur d. l. planè 38. Num autem m. f. possessori etiam exceptio doli competat quæstionis est? Affirm. Dn. D. Ungepaar. exerc. Inst. 6. q. 4. Donell. lib. 21. com. cap. 7. Negat verò Tr. vol. 1. disp. 14. th. fin. lit. c. quem sequitur Illic. Umm. disp. 22. ad process. th. 2. num. 10. Affirmantium votis calculum addimus propter d. l. 38. d. t. de hered. petit. ibi; & id ipsum iudicis officio continetur nam nec exceptio doli mali desideratur. Hoc enim verbum, desideratur, manifestè ostendit quod exceptioni doli locus sit, Bachov. ad Treutl. d. th. fin. lit. c. Dn. D. Ungepaar d. loc. Gædd. ad l. impensa. 79. n. 7. in fin. de V. S. Dn. Ludwell. disp. Inst. 4. th. 8. lit. c.*

(b) Culpa enim ei objici potest, quod sciens in alieno solo impensas fecerit §. ex diverso 31. Inst. de R. D. ac proinde de se quæri debeat l. planè 38. ff. de hered. petit. l. adeò 7. §. ex diverso 12. de A. R. D. & ita has non deducit, sed auferre & abradere modò id sine rei damno & dispendio fieri possit, permittitur, l. utiles 39. §. videamus 1. de hered. petit. l. Julianus 37. in fin. ff. & l. domum §. C. de R. V. Hænon. disput. Inst. 4. th. 15. lit. b. Notandum tamen hic quod si solvere easdem petitor malit, & tantum dare, quantum ex abrasione adepturus esset, paratus sit, omninò hoc ipsi concedendum est, nec malitiis possessoris in dulgendum l. in fundo 38. ff. de R. V. Fachin. 1. contr. 55. Ampliè. Dn. D. Ungepaar. exerc. Inst. 6. q. 4. in Nego.

XV. & Ultim.

Denique juris remedia ad promovendam restitutionem tria sunt, rei vindicatio,, (a) conditio ex l. (b) & officium iudicis. (c).

(a) Quo

(a) Quo remedio repetuntur fructus extantes, l. solum 49. §. meum est 1. ff. de R. V.

(b) Quo fructus, si consumti fuerint, condicuntur, l. mala fide 3. C. de condict. ex l. l. si pignore 22. §. si prado 2. ff. de pignor. act. Duaren. ad tit. ff. de naut. faenor.

(c) Cujus officio post litem contestatam fructus tam percepti, quam percipiendi restituuntur, l. non ideo 66. ff. de R. V. l. certum est. 22. C. eod. §. et si in rem 2. Inst. de offic. jud. Henon. disput. ad pandect. 10. th. 15. lit. K. Et hæc de utilissima illa materia pro instituti nostri ratione dicta sufficiant: Equidem me non fugit, quam sit magnum dare aliquid in manus hominum, ut inquit Plinius lib. 7. epist. 17. verum utilitatem disputandi prætuli gratiæ placendi.

Doctis majora relinquo.

F I N I S.



(a) Quorundam experientia in fine exteras, solum est.
(b) Quo fructus in continentibus, condicuntur, mala
sunt. C. de condic. et lit. sig. 22. §. si quis. ff. de leg. 2. §. si quis.
Maven, ad ut. ff. de man. servor.
(c) Ceteris officio post hanc con testam fructus in per-
cipi, quam percipiendi testantur, non debet esse. ff. de R. V. l. con-
stitut. 22. C. de cond. et lit. sig. 22. §. si quis. ff. de leg. 2. §. si quis.
sunt. in ib. ff. de R. V. l. con. Et hoc de utilitate hanc testam pro ipse
in hanc ratione dicitur. Equidem me non fugit
quam in magnum dare aliud in hanc rationem, in
indique P. inus lib. 7. equit. 17. verum utilitatem
diligenti praxi gratia
placendi.

Doctis majora relinquo.

FINIS.



Vb 17

ULB Halle


3

002 673 282



7A → OL







DISPUTATIO JURIDICA
De
FRUCTIBUS,

Quam

D. T. O. M. A.

PRÆSIDE

Amplissimo, Consultissimo, & Excellentissimo Viro

Dn. CONRADO CARPZOVIO J.U.D.,

Profess. Publ. Curiā Provinc. Consistorii Ecclesia-

stici, Facultatis Juridicæ, Wittebergæ, & Electoralis, per
inferiorem Lusatiam, iudicii, Assessore, Præ-
ceptore atq; Fautore suo colendissimo.

In

Electoralis ad Albim Academia.

Publica censura subicit

PHILIPPUS Scherer / Neustad. ad

Ericas Francus.

In Collegio Jctorum

Ad diem 1. Julii horis consuetis.

WITTEBERGÆ

Typis AUERBACHIANIS.

ANNO M DC XXIX.

Cista 19. No 3.